

baptizati forent, ingredi non poterant, quasi eo tempore, quo Christus passus est, apud inferos divertissent, donec ipse Christus ad infernum descenderet, quem tantum ratione animæ ad inferos descendisse Abucaras tradit. Quis vero hæc Abucaræ revelavit? Num forte epistolas quasdam Patrum e limbo in terram missas habuit, quales nuper ex infantium limbo missæ sunt? Nobis ex S. Scriptura constat, animas fidelium, qui ante Christum incarnatum defuncti sunt, simulac e corporibus emigrarunt, regnum gloriæ intrasse, nec coeli fores ante Christi ad inferos descensum occlusas illis fuisse.

§. XXXVII.

Videmus ergo in exiguo hoc Abucaræ opusculo errorem ab errore velut undam ab unda trudi. Nec melioris notæ sunt, quæ postremo loco differit. Cum enim infidelis exciperet, ea ratione etiam impios baptizatos fuisse, si statuatur, aquam, quæ ex latere Christi scaturivit, in elementa resolutam mortuos in elementa resolutos baptizasse, respondet Abucaras, id neutiquam sequi, cum illi tantum, quorum animæ Christo ad infernum descendenti crediderunt, instar arborum vegetarum & succum aquæ radicibus suis attrahentium cœlesti hac aqua salubriter irrigati, reliqui autem perinde ac arefactæ & mortuæ arbores nullum ex hoc baptismo fructum percipere valuerint. Verum hæc Abucaræ commenta operose impugnare nolumus, cum falsis hypothefibus superstructa sponte & nullis arietibus admotis corruant, & præfixi nobis brevitatis limites finem huic exercitationi imponere jubeant, quod in nomine Deï facimus, cui sit laus & gloria in secula seculorum, AMEN.

